



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 70. Extrema Innocentii X. Pontificis infirmitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

&c. Calvinistis oppositam. V. Jacobus Clauderus scripsit de pace Religiosa, de animi tranquillitate, de quæstione bipartita in Papam, num Cæsar ab ejus coronatione dependeat, & indirecte summa potestate in temporalibus fulgeat. VI. Thomas Gatakerus edidit tractatum de stylo Novi Testamenti contra Pfochenium, miscellanea sacra, dissertationem de nomine Tetragrammato, & notas in Isaiam, Jeremiam &c. VII. Guilielmus Erbury, qui magnum mysterium Divinitatis, librum de Regno Christi & de ministris pro decimis præter alios tractatus posteris reliquit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1655.

§. LXX.

*Extrema Innocentii X. Pontificis infirmitas.*

Sub anni post Christum natum millesimi sexcentissimi quinquagesimi quinti initium Innocentius X. Pontifex Maximus supremum obiit diem; cum enim jam a Mense Augusto anni prioris corpus suum insolito languore, indeque exorta febris flaccescere sentiret, ac paulatim aqua intercus vitalia indies tanta violentia depasceret, ut morbi gravitas, viresque gravi senio confectæ medicam opem, omnemque salu-

Tald. Hist.  
ver. pag. 7.  
lib. 4.  
Ciacon. in  
vita. Innoc.



**Sæc. XVII.** salutis spem everterent, Pontifex die  
**A. C. 1655.** sibi extremum imminere sentiens, de  
 morte feliciter obeunda serio cogitare  
 cæpit: omnibus igitur ceteris curis ac  
 negotiis valere iussis, præprimis coram  
 conscientiæ suæ arbitro totius antea  
 vitæ noxas ducto ab ultima pueritiæ  
 calculo in memoriam redegit, plures  
 que dies inter fervidas ad Deum preces  
 frequentesque de divinis rebus sermone  
 pie insumpsit: Ut vero Divinum Judicium  
 sibi magis propitium redderet, aliquid  
 quot aureorum millia in pauperes distri-  
 bui, tria Sacrorum millia celebrari  
 incruentumque Sacrificium in suo co-  
 biculo quotidie peragi voluit. Ingrave-  
 scente demum morbo post sacram Synaxin  
 Viatici more receptam, die tertia  
 Decembris, olei sacri etiam unctio-  
 ne munitus, cunctos Cardinales  
 qui tum Romæ degebant, adesse iussit  
 quos una congregatos singulari animi  
 præsentia hanc in sententiam allocutus  
 est: *Videtis, Viri Fratres, Et ego sentiens  
 non diu admodum hanc animam in tabernacu-  
 culo corporis huius divertî adhuc posse: sed  
 licet hinc emigraturo Sedes petendæ sunt  
 quas designator hospitiorum Christus offeren-  
 derit. Quare Et humilitatem ægræ vocis  
 Et ultimam abscessuri a vobis salutem æque  
 auribus, animisque accipite. Non aliter  
 clarius id cæremonicæ genus intuemur in vita*



quod initio Pontificatus (quum in aurea Sæc. XVII.  
 sella ponimur) adhiberi solet, quam ubi A. C. 1655.  
 ventum ad extrema est. Modicum stupæ  
 arenæ glomerem accendunt, eum iterum at-  
 que tertio, elatum in sublime conspectius  
 lucentem exhibent; ut momento temporis  
 decrepita flamma ignis in cinisculum sub-  
 sidat, hoc admoneri mortales volunt, rem  
 honorum stupæ accensæ per similem crepare  
 paulisper dum vivimus, sed splendorem il-  
 lum subrepente mortalitatis pulvere raptim  
 extinguui. Utinam hujus in mentem veniat  
 iis, qui honores brevi interituros aut prece  
 ambiunt, aut pretio emere non detrectant,  
 alia credo mente forent. Obsecro ego vos,  
 atque per Christi sacra obtestor fratres, ne  
 finite animos rectum videntes, ambitione in  
 transversum abripi. Dum hinc emigra-  
 vero, concordiam inter vos retinete: fa-  
 ctionum nomina, quæ sæpe exitio multis  
 fuerunt, extinguite: Christianæ Reipublicæ  
 salus, commune Ecclesiæ bonum ut omnibus  
 rebus apud vos præponderent facite, non  
 vos hujus, non illius præpotentis familiæ  
 splendor, non privata commoditas, ad cæ-  
 lestis in terris regni moderatorem constituen-  
 dum commoveat. Quem divinæ gloriæ cu-  
 pidissimum, quem catholicæ pacis, concor-  
 diæque Christianæ studiosissimum, sancti  
 Spiritus, qui rite invocatus abesse a vobis  
 non patitur, instinctu cognoveritis, eum  
 desuncto mihi cooptate. Et quia ipse hoc  
 tempo-



Sæc. XVII. temporis articulo vestra ope inprimis egere  
 A. C. 1655. precamini pro me Deum benignissimum;  
 si quid hac gravissima in undecimum annorum  
 administratione vel egi negligentius, vel  
 quod factum a me oportuit, prætermittam,  
 pro sua facilitate mihi ignoscat: Agnoscat  
 Christi Domini beneficium, non rejiciet  
 propter, quem Filius redemit &c.

Hæc fatus erat æger Pontifex, cujus  
 loquentia supra morientis morem ac  
 dem prolixa, demum vero ad Fabium  
 Chisium Cardinalem conversus, cum  
 ejus fidem, probitatemque multis argu-  
 mentis compertam habuisset, eidem  
 quoque Ecclesiæ, libertatisque ejus de-  
 fendendæ curam impense commenda-  
 bat, necnon Cardinalibus parce provisus  
 ne ob inopiam factionibus potentiorum  
 accedere cogerentur, in singulos me-  
 ses ex ærario Pontificio centum aureos  
 domesticis vero suis, qui sacris Ordini-  
 bus initiati erant, vacantia beneficia  
 ceterisque duo aureorum millia statim  
 suppeditari jubebat: denique Agnatos  
 suos, inter quos graves fervebant inimici-  
 citiæ, ad concordiam paterno placido  
 affectu hortabatur.